



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Panarion, Hoc Est, Arca Medica Variis Diuinæ Scriptvræ
priscorumq[ue] Patrvm Antidotis aduersus Animi morbos
instructa**

Busaeus, Johannes

Moguntiae, 1608

G.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54834)



G

GLORIA VANA.

Remedia contra gloriam vanam.

PRIMUM Remedium. Considera quid Spiritus sanctus in diuinis literis de gloria vana patefecerit. Primo enim dehortatur nos ab aucupanda inani gloria & laude. vt apud Ieremiam. *Non gloriatur Sapiens in sapientia sua.* Et Apostolum.

Jer. 9. 23.
Gal. 5. 26.
Prou. 27. 2.
Eccli. 10. 19.
Luc. 17. 10.

2. Cor. 10. 18.
1. Cor. 4. 7.

Isa. 40. 6.
Ioan. 2. 54.

Ios. 7. 19.
Psal. 29. 2.
Psal. 113. 9.
1. Cor. 1. 31.
1. Tim. 1. 17.

Luc. 10. 17.

Basil.

Cary hom. 43.

Non efficiamur inanis gloriae cupidi. Et Sapientē. *Laudet te alienus, et non os tuū.* Et. *Noli extollere te in faciendo opere tuo.* Et apud Lucam. *Cū feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite, quia serui inutiles sumus.* Non enim qui seipsum commendat, vt est in epist. 2. ad Corinthios, *ille probatus est, sed quem Deus commendat.* 2. monet nullam nobis esse causam aucupandae gloriae nostrae. *Quid habet, ait per Apostolum, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris?* Et per Isaiam. *Omnis caro fenum, et omnis gloria eius quasi flos feni.* Ac apud Ioannē. *Si ego glorifico meipsum (ait Christus ipse, qua homo) gloria mea nihil est.* 3. docet soli Deo deberi omnē gloriam *Da Domino Deo Israel.* inquit ad Achā Iosue, gloriam. Et in Psalmis. *Afferre Domino gloriam et honorem, et date gloriae laudi eius.* Et. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Et apud Apostolum. *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Et. *Soli Deo honor et gloria.*

II. REMED. Considera quid SS. Patres in gloriam vanam dixerint. B. CYPRIANVS in sermone de ieiunio & tentationibus. *Gloriabantur, inquit, aliquando discipuli (Christi), et complacebant sibi in miraculis, gratulabundi, quod eis etiam demonia obedirent, sed repressa est increpante Domino simplicitatis eorum praesumptio.* *Videbam, inquit, Satanam tanquam fulgur descendētem de caelo: his verbis eorum animis intmans, et c. qui ante hominis conditionem superbientis diaboli ruinam vidit.* S. BASILIVS in Constitut. monast. *Fugiamus inanē gloriam, dulcē spirituum operum spoliatricem, iucundum animarum nostrarum hostem, timē virtutum, blandissimam bonorum nostrorum depraedatricem, eandem que mellis illius fraudis sui veneni coloratricem et morti feri hominem mentibus poculi porrectricem.* *Quod opinor ea de causa facit, vt vitio se illi avidius ingurgitent, nec vlla illius expleantur facietate.* Dulce quid humana imperitis gloria est. IO. CHYSOST. ad pop. Antioch. *Vi sceni quidam venti in tranquillum mare delati totum ab imo subruunt,*

vi et

ut et arena cum vudis miseratur, sic exaccat mentis impetum gloria furor: nam pec-
 nias quidem contemnere volentis satis est facile honorem autē à multis collatum despi-
 cere multi laboris indiget, magna sapientia, Angelica cuiusdam anima ipsum celestis
 te studium verticem tangentis. Non est enim, non est vitium ita tyrannicum, & ubiq;
 dominans, ex maiori quidem, vel ex minori parte, attamen ubique. Et rursus. Anima
 cupiens honorē, & glorificari, non videbit regnū cælorum. Non meus est hic sermo neq;
 mea recito verba, sed Spiritus sancti. Non videbit, licet virtutem operetur. Ait enim, Matth. 6. 3.
 Reperunt mercedem suam. Itaq; qui mercedem non accipit, quomodo cælorū regnum
 videbit? **HIERONYM.** ad Eustochium, de custodia Virginitatis. Illud quo- Hier. ep. 22.
 que tibi vitandum est, ne inanis gloria ardore capiaris. Quomodo, inquit Iesus, potestis Ioan. 5. 44.
 credere, gloriam ab hominibus accipientes? Vide, quale malum sit, quod qui habuerit, Psal. 3. 4.
 non potest credere. Nos verò dicamus. Quoniā gloriatio mea tu es. Et qui gloriatur, in 1. Cor. 1. 31.
 Domino gloriatur. Et si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. **AVGV- Gal. 1. 10.**
STIN. libro quinto de Civitate Dei. Sanius videt, qui et amorem laudis vitium Aug. c. 13. & 14.
 esse cognoscit. Quod nec Poetā fugit Horatiū, qui ait; Laudis amore tumes: sunt certa Hier. lib. 1. epist.
 pericula qua te, Ter purē lecto poterunt recreare libello. Idem in carmine Lyrico ad re- ad mecæn. &
 primendam dominandi libidinē ita cecinit. Latius regnes avidum domando Spiritum, carm. lib. 2. ad
 quam si Libyā remotis Gadiibus iungas, et vterq; Pænas serviat vni. Et rursus. Tū Salust.
 est hoc vitium inimicum piæ fidei, si maior in corde sit cupiditas gloria, quam Dei ti- Ioan. 5. 44. & 12.
 mor vel amor, ut Dominus diceret. Quomodo potest credere gloriam ab inuicem expe- ff.
 ctantes, et gloriam qua à solo Deo est non querentes? Idem de quibusdam, qui in eū Cast. 11. inst. c. 2.
 crediderant, et verebantur palam confiteri, ait Evangelista. Dilexerunt gloriam homi- Cast. 11. inst. c. 2.
 num magis quā Dei. **IO. CASSIANVS.** Septimum nobis certamen est contra Spiri- Cast. 11. inst. c. 2.
 tum cenodoxia (quam nos vanam, siue inanem gloriam possumus appellare) multi for- Cast. 11. inst. c. 2.
 mem, varium atq; subtilem, ita ut quibuslibet perspicacissimis oculis non dicā ceteri, Cast. 11. inst. c. 2.
 sed peruideri, deprehendiq; vix possit. Et infra. Pulchrē Seniores nostri naturam mor- Cast. 11. inst. c. 2.
 bi huius in modum cepa, bulborum que describunt, qua vno decorata tegmine, alio Cast. 11. inst. c. 2.
 rursus inveniuntur induta: totiesque reperiuntur obiecta, quoties fuerint expolia- Cast. 11. inst. c. 2.
 ta. **S. BERNARDVS** in Cantica. Gloria in confusione eorum, qui terrena Bern. serm. 73.
 sapiunt, dicente etiam David. Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus Phil. 3. 19.
 spreuit eos. Fratres, si hoc scitis, nemo vestrum velit laudari in vita ista: quia quic- Phil. 3. 19.
 quid hic fauoris captas, quod ad Deum non retuleris, apsi furaris. Tibi enim vnde glo- Phil. 3. 19.
 ria putide puluis, tibi vnde?

III. REMED. Considera exemplum Christi, Ioan. Baptistæ, & Apo- Matth. 17. 3.
 stolorum. Nam apud Matthæū per Ioannis discipulos rogatus Christus, Matth. 17. 3.
 an ipse esset Messias, nō respondit se esse, sed dixit id ex doctrina & ope- Matth. 17. 3.
 ribus diudicandū, Deinde de se agens in tertia persona. Ite, inquit, renun- Matth. 17. 3.
 tate Ioanni, q̄ uulsiis & uidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, &c. Adhuc nō se. Matth. 8. 4.
 mel vetuit publicari miracula à se facta. Ut cum leproso curato dixit. Vi- Chry. hom. 16.
 de nemi dixeris. Ideo enim, inquit Chryſ. nulli dū eē tibi, v: doceat non diligendū in Matheo.
 ostentā-

ostentā-

Luc. 8. 39
IOAN. 1. 10.

Act. 14. 14.

Act. 3. 12.

Hier. in eius
vita.

Bern. ferm. 13.
in Cant.

Sur. tom. 4.

Greg. lib. de vita
Pacum.

ostentationem, & gloriam. Nam quod alio in loco sanatum à se iubet beneficium publicare, non divulgari se ipsum iussit, sed dari gloriam Deo. Narra, inquitens, quanta tibi fecit Deus. S. IOAN. BAPTISTA non aliud fuit quam speculum contemptus humanæ gloriæ, in vita, habitu & moribus. ideo in solitudine omnem vitam egit: ideo nec Elias, nec Propheta, nec Messias, cum posset, haberi voluit, sed vox clamantis in deserto, qua nihil vanius & fragilius. PAVLVS & Barnabas, vt est in Apostolorum Actis, cum Listrenses ob sanatum claudum diuinos honores eis deferre vellent, conscissis tunicis suis exilierunt in turbas clamantes & dicentes. *Viri quid hæc facitis? Petrus quoq; & Ioannes, concurrente populo ob simile miraculum dixerunt. Viri Israelitæ quid miramini in hoc, aut nos quid inuenim, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?*

IV. REMED. Considera quanti vanæ gloriæ contemptores fuerint alii multi sancti. D. S. Hilarione ita scribit HIERONYMVS. *Sexagesimo tertio vitæ suæ anno cernens grande monasterium, & multitudinem fratrum secum habitantium, turbasq; eorum, qui diuersis languoribus, & immundis spiritibus occupati ad se deducebant, ita vt omni genere hominum solitudo per circumitum repleteretur: stebat quotidie, & incredibili desiderio cõuersationis antiquæ recordabatur. Interrogatus à fratribus quid haberet, cur se conficeret, ait. Rursum ad seculum redij, & recepi mercedem meam in vitâ meâ. En homines Palestinæ & vicinæ prouinciæ existimant me aliquid esse momenti, &c. Mirantur alij signa quæ fecit, mirantur incredibilem abstinentiam, scientiam, humilitatem. Ego nihil ita stupeo, quàm gloriam illum & honorem calcare potuisse. Concurrerant Episcopi, presbyteri, clericorum & monachorum greges, matronæ quoq; Christianorum grandis tentatio. Sed & potentes viri & iudices, vt benedictum ab eo panem & oleum acciperent: at ille nihil aliud nisi solitudinem meditabatur. Cum qua Hieronymi admiratione consentit illud BERNARDI. Magna, inquit, & rara virtus profecto est, vt magna licet operantem magnum te nescias, & manifestam omnibus tum te solum latere sanctitatem, mirabile te apparere, & contemptibilem te reputare: hoc ego ipsis virtutibus mirabilis iudico. S. GREGOR, Turonum Episcopus vt est in eius vita, reliquias sanctorum semper è collo gestabat, vt quoties miraculum ederet, non suis meritis, sed reliquiarum beneficio adscriberet. S. VDALETRIC. Augustanus Episcopus cum die Iouis sancto visi essent cum eo sacrum facientes sancti Fortunatus & Adalbero antecessores; dextera quoq; manus consecrâs tempore consecrationis super eum apparuisset, tempore communionis clericis qui viderant porrectæ os compressit, vt visum occultarent, & post sub pœna amittendæ vitæ vetuit, ne patefacerent. Eadẽ de causa, cum mortuum caducum curare posset, publicè id petentibus negauit. S. NICET. Treuironum antistes, vt auctor est Gregorius Turonicus, ad cauendam inanem gloriam, signum crucis sub veste formauit, cum publicè curaret*

damo-

dæmoniæcum. S. ANNO Archiepiscopus Coloniensis, cum ei cæcus qui-
dam obviam fieret dicens se visione monitum, vtaqua qua manus in-
Missa ablisset illineret oculos, asperis verbis eum repulit, vocans im-
postorem. cæcus verò cum à sacri Ministro aquam impetrasset, visum
recepit. Et cum postea gratias Episcopo agere vellet, longe acrius eum
exceptit, quod Deum tentasset. Ministro autem qui aquam dederat leui-
ter alapam infregit, ac vtrique prohibuit, ne se viuo cuiquam rem pro-
palarent, sed Deo tantum gratias agerent. S. BERNARDVS quoque no-
uus sui sæculi thauaturgus, ne ob crebra miracula sibi aliquid esse vi-
deretur, in hæc verba prorupit. *Ex scripturis didici signa fieri, vel per perfectos,
vel per fictos. Ego nec perfectionis mihi sum conscius, nec fictionis. Nihil ergo mihi, et
signis istis, quando quidem mea illa fama magis, quam vita nouerim exhiberi: nec ad
meam fieri commendationem, sed ad commonitionem potius, ad fructum autem alio-
rum, et ad fovendam de me bonam opinionem.*

V. REMED. Considera, quam lubricus, periculosus & perniciosus sit
morbus humanæ gloriæ. Nam velut *umbra corpus*, teste B. Hieronymo ad
Eustochium, ita gloria sequitur vbique virtutem, etiam in intimas soli-
tudines, vt eam mistet & perdat. *In solitudine*, inquit Cassianus, *quoq; cum
florum mortalium consortia gloriæ causa fugientem persequi non consistit. Quantoq;
amplius uniuersum quis vitauerit mundum, tanto eum acrius insectatur.* Et infra
*Omnia vitia superata marcescunt et denicta per singulos dies infirmiora redduntur:
hoc verò deiectionum acrius conualefcit. Cætera genera vitiorum eos tantum impugnare
solent, quos in certamine superarint, hoc verò suos victores acrius insectatur: quanto-
que fuerit validius elisum, tanto vehementius victoria ipsius elatione congregatur.* Et
rursus. *Cui sub specie nitida vestis cenodoxiam non potuit diabolus generare, pro
squalida et inculta conatur inferere. Quem scientia et elocutionis ornatu nequiuit ex-
tollere, grauitate ta. iurnitatis elidit. Si ieiunet palam, gloria vanitatis pulsatur. Si
illud contemnenda gloriæ causa contexerit, eodem vitio elationis obrunditur.* Deniq;
hic vnus morbus omnibus virtutum thesauris, & beatitudine æterna
nos expoliât. Clarè enim apud Matthæum Christus dixit, ieiunantem,
orantem, vel eleemosynas dantem, vt videatur ab hominibus, recepisse
in hoc mundo mercedem suam, ac idcirco frustra expectare æternam.
Qua de causa rectè supra B. BASILIUS, vanam gloriàm omnium spiri-
tualium bonorum latronem, Chrysof. verò *matrem gehennæ* appellauit.
VI. REMED. Considera quam vilis, fluxa & caduca sit omnis hu-
mana gloria, laus, & celebritas nominis, quã tanto studio homines hu-
ius sæculi venantur. *Mihi pro minimo est*, aiebat Apostolus, *ab hominibus in-
dicari, cur ab humano d. e. id est, fauore & exultatione humana.* Imò Chri-
stus ipse dicit. *Si glorificare me volero, gloria mea nihil est.* Sicut, n. umbra cor-
poris, quocunq; tandem colore corpus imbutum sit, semper nigra est,

O imò

Chry. hom. 41.
ad pop.

imò nihil quod subsistat, sic omnis huius seculi gloria, quam Patres umbræ comparant, quacunq; tandem ex re nascatur, siue ex virtute vera, siue ex scientia, vel potentia, non nisi inane quid est in sola opinione consistens, siue eius qui honorat, siue qui honoratur. *Hac inanis gloriæ natura est, ait NAZIANZ. ad Nemesiū gentilem, vt statim decidat. Nihil hominū gloria, inquit B. CHRYSOST. vilius. Nonne vides personas, quas in scena versantes induuntur, quam sint pulcræ & splendida? potes mihi talem aspectum in veritate monstrare? nequaquam. Nunquid vnquam earum amor captus es? Non. Quare? quia vacua sunt, & imitantur pulcritudinem, pulcræ tamen non sunt. Similiter & gloria inanis est, & gloriam quidem imitatur, non tamen est gloria. Dic enim mihi, quid habet boni à multis circumspici? Sicut enim larua occultat vilitatem hominis vsque ad vesperam, dimisso autem theatro, vnusquisque apparet, quod est: ita si post multas tuas laudes auditas domum reuertare, & solus sis, omnis gloria deflexerit. In forum processisti, presentes in te conuertisti? quid amplius? nihil. extinctum est, & euauit tanquam fumus diffusus. Quanta sunt hæc que stoliditatis, quanta demerita? Ad vnum itaque spectemus, quomodo Deus nos laudet. Et paulo post. Non potest gloria seruus homo, non omnium seruus esse, & ipsis seruitur mancipiis. Nec enim talia precipimus seruis nostris, qualia captiuis suis illa. turpia & dedecore plena negotia loqui facti, & pati, & quo obsequentiores viderit, hoc imperium plus adauget. Fugiamus itaq; hanc seruitutem, fugiamus. Dicit aliquis. Qualiter poterimus? Si philosophemur de terrenis, si cogitemus, quod presentia omnia somnium & umbra sint.*

Basil. hom. 31.

VII. REMED. Considera tuam vilitatem. Primum, quod terra sis, & in terram breui forte rediturus. Hoc remedium est S. BASILII scribentis in verba Moysis, Attēde tibi ipsi. Tibi, inquit, mire places ob opes, vel auitæ gentis claritudinem? immodico gaudio subtilis ob patria celebritatem? ob elegantiam corporis? ob honores ab omni gradu tibi delatos? Attende tibi ipsi, mortalis enim tu, quippe terræ es, & in terram abibis. Vbi iam dic, qui ciuitatū amplissimos magistratus cæsessebant? Vbi inuicli rhetores? vbi exercituum Duces? vbi tyranni? Nonne omnia puluis? non sunt in sabulam versa omnia? Memoria vitæ eorum in quam paucis ossibus retinetur? In horum sepulchra desicco parum per oculos, possene te speras discernere inter famulum & Dominum, pauperem & diuitem? vinctum, & eum à quo vinctus erat, Regem? SECVNDO, quod quicquid laude vel gloria dignum habes, acceperis à Deo. Quid habes, ait Apostolus, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Et. non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Quod sine ad cogitandū quidem bonum sufficientes sumus, quanto minus ad eloquendum & agendum? Vnde Christus. Sine me, inquit, nihil potestis facere, Et nobis solum peccatum est, at boni nihil. Osec ait. Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum. Et B. BERNARDVS in Cantica. Tibi, inquit, o homo, vnde gloria? putide puluis vnde tibi? De vitæ sanctitate? Sed Spiritus est qui sanctificat:

Deu. 15. 9 iuxta
90.

1 Cor. 4. 7.
1 Cor. 3. 5.

Ioan. 15. 5.
Osi. 9.
Berna. serm. 13.

bat: Spiritus, non dico tuus, sed Dei. Et si prodigiis aut signis effulgeat, in manu tua sunt, sed virtute Dei. An blanditur popularis fauor, quod verbum bonum, & bene forte deprompseris? sed Christus donauit os & sapientiam. Nam lingua tua quid nisi calamus scribae? & hoc ipsum mutuo accepisti, talentum creditum est, repetendum cum usura. Si dicas. Deum agnosco auctorem omnium bonorum, quae habeo, sed interim mea sunt, quae mihi Deus dedit. Fateor tua esse, sed ita, sicut illa esse voluit. Voluit autem te illis recte uti ad tuam aliorumque salutem, non autem inde gloriari, sicut Pater filio dat vestes ad honestatem vel necessitatem, non ut inde insolescat. Rides puerum si ob plumulam galero impostam sibi vehementer placeat, quanto magis ridet te Deus, si ob scientiam, nobilitatis, vel pietatis donum aliquod immodice te efferas.

VIII. REMED. Quoad fieri potest virtutes tuas occulta, & occasiones captandae gloriae refuge. Quod remedium suggestit Dominus ipse cum apud Matthaeum iubet orantem sese recipere intra cubiculum, & Matth. 5. 6. ieiunantem lauare faciem, & eleemosynam dantem ita dare ut nesciat sinistra, quid faciat dextra. Sicut enim thesaurus absconditus tutior est a latronibus, & virgo domi clausa facilius castitatem seruat, quam quae per vias vagatur, ita virtus occultata, a vana gloria & diaboli laqueis securior est. Sicut vestem pretiosam, inquit Chrysostomus, cum in publico ponimus, plures Hom. 3. in Marc. nos ad infidias prouocamus: Si vero domi recondamus, in tuto cuncta seruabimus: Sic si opes virtutum palam quasi venales assidue portemus in mente, inimicum irritamus ad furum, sin vero nemo alter id scierit, nisi quem nulla occulta latent, tutissimo in loco consistent. Et B. GREG. in Euangelia. Inuenit thesaurus absconditus, ut ser- Greg. hom. 1. uetur, quia studium caelestis desiderij a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In praesenti etenim vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus. Maligni autem Spiritus iter nostrum quasi quidam latronum obsident: depraedari ergo desiderat, qui thesaurum publice portat in via. Hoc au- Matth. 5. 16. tem dico, non ut proximi opera bona nostra non videant, cum scriptum sit: Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in caelis est: sed ut per hoc quod agimus, laudes exterius non quaramus. Sic autem sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut & de bono opere proximis praebemus exemplum, & tamen per intentionem, qua Deo soli placere quarimus, semper optemus secretum.

IX. REMED. Assuefac te ut omnes actiones tuas, maxime mane ad gloriam Dei referas, secundum consilium Apostoli. Siue manducatis, in- 1. Cor. 10. 31. quit, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Quod remedium dedit IOAN. CAS. his verbis. Athleta Christi qui verum & spiritualem agone Cass. lib. 16. certare desiderat, hanc multiformem bestiam tali remedio poterit euadere, si primus inst. c. 12. nihil proposito vanitatis & inanis gloriae capeffenda gratia fieri permittat. Deinde quae bono ini. o. fecerit, observatione simili custodire nitatur. Quo autem constantius id facias, optimum erit Deum quasi praesentem & operum nostrorum

Rfal. 15. 8.
Basil. q. 34.

spectatorem cernere & dicere cum regio Propheta. *Providebam Dominum in conspectu meo semper.* Ita consulit S. BASILIUS in regulis breuioribus.

Nam posita quaestione, quomodo quis possit captandae humanae laudis vitium declinare? respondit. *Si sibi certo persuaserit, ubique Deum adesse. Si quidem est nemo, qui cum in oculis Domini sit, cum illius dedecore, cōseruo suo malit*

Chry. hom. 43.
ad pop.

gratiosus esse, quam Domino. Idem suadet CHRYSOSTOMVS. *Cum aliquid boni faciens cogites, quod & hominibus oporteat ostendere, & aliquos facti spectatores queras, cogita quod Deus videt, & omnem illam extingues concupiscentiam, de terra recede, ad illud caeleste respicias theatrum. Homines etiam licet laudant, mox tamen accusant, vel inuident, vel carpunt; & vt non faciant hoc, tamen nihil laudato pro-*

Chry. hom. 5. in
Gen.

sunt. Deus vero non ita facit, sed gaudet, nostra laudans merita. Et alibi. *Non vides in equorum ludis, quomodo hi qui equos agitant, non aduertunt plausum populi assidentis, nec voluptatem ex eo plausu capiunt, sed in vnum Regem in medio sedentem oculos intendunt, ac ad nutum illius attendentes totam multitudinem despiciunt. Hoc & tu imiteris, non magni faciendo hominum famam, sed sententiam iudicis iusti exspectando, atque ad nutum eius omnia dirigendo.*

X. REMED. Considera exempla eorum quibus vanae gloriae aucupium male cessit. Primum est Luciferi Angelorum principis, qui plus æquo ob naturae gratiaeque dona elatus cum sociis ad tartara deturbatus est: quo exemplo. Christus ad Lucam terruit 72. discipulos, cum gloriarentur, quod daemonia ipsis subiicerentur, dicens. *Vidi Satanam, sicut fulgur de caelo cadentem.* Alterum est Adæ protoplasti, qui paradiso exterminatus est, quod diuinitatem in scientia boni & mali suafu serpentis affectasset. Tertium est Ezechiae regis, qui quod Babyloniae regis Legatis ex ostentatione quadam thesauros omnes suos spectandos exhibuisset, à Domino per Isaiam Prophetam grauius increpitus est, eique denunciatum est omnes illos vna cum filiis in Babylonem deportatū iri. Quartum est Pharisei apud Lucam, qui quod ex fastu quodam bona sua opera praedicasset, & se publicano peccatori anteposuisset, Publicano à Domino posthabitus est, & iustificationis beneficio priuatus.

Luc. 10. 18.

Gen. 3. 5.

4. Reg. 20. 13.

Luc. 18. 14.

XI. REMED. Considera indicia, ex quibus cognoscaste expugnasse vanam gloriam. Primum est, si molestè feras te ab aliquo laudari. *Laus*

Greg. 16. moral.
c. 23.

enim, inquit B. GREGORIUS, inustos cruciat, iniquos exaltat: sed inustos cum cruciat purgat: iniquos vero dum laetificat, reprobos monstrat. Et post. *Cum vero iusti sua praeconia in Dei laudem rendere sentiunt, ea etiam desiderabiliter amplectuntur.* Ex-

Aug. 10. confess.
c. 37. & cp. 64.

plum habes in AVEVSTINO qui in libris Confessionum agens de tentatione gloriae. *Quotidiana, inquit, fornax nostra est humana lingua. Tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum. Neque enim facile colligo quam sim ab ista peste mundatior, & multū tamen occultata mea, quae norunt oculi tui, mei non.* Alterum est, si delecteris quidē aliquantulum laudibus tuis, plus tamen

tamen ipsa veritate. *Contristor*, ait ibidem Augustinus, aliquando laudibus meis, cum vel ea laudantur in me, in quibus ipse mihi displiceo: vel etiam bona leuiora plus aestimantur, quam aestimanda sunt. Et rursum. Quid igitur tibi in hoc genere tentationis Domine confiteor? quid? nisi delectari me laudibus, sed amplius ipsa veritate, quam laudibus? Tertium est, si gaudeas, vel certe optes gaudere cum Apostolis in contumeliis & iniuriis pro Christo: quod altissimum genus est imitandi Christum, qui opprobriis saturatus dicitur, vt non puderet nos aliquam subire pro eo ignominiam, maximè, cum sæpe necesse sit: nam vt docet Chrysostronus in Genesin, fieri non potest, vt qui virtuti dediti sunt ab omnibus bene audiant. Act. 5. 41.
Thren. 3. 30.
ChryChom. 23.

XII. **R E M E D.** est oratio, ac Chrysostronus quidem existimat non esse aliud remedium contra vanam gloriam. Ita enim loquitur in opere imperfecto. *Omnia mala quæ sunt in mundo, habent contraria bona per quæ superentur, veputa fornicatio castitatem, superbia humilitatem, iracundia consuetudinem. Et nullum est malum, quod non habeat contrarium bonum, excepta vana gloria. Ita quantumuis bona feceris volens compefcere vanam gloriam, tanto magis excitas eam. Et causa est ista, quia omne malum ex malo nascitur, sola autem vana gloria de bono procedit, & ideo non extinguitur per bonum, sed magis nutritur. Denique inter homines peccatores tentatio vana gloria non habet locum. Fornicarius enim, aut raptor, quomodo tentetur in gloria vana, qui non habet vnde gloriatur? Ergo nullum remedium potest esse contra vanam gloriam, nisi oratio sola. Et hac ipsa vanitatem generat, nisi caute prospexeris, si forte bene oraueris.* Chryf. hom. 15.
in Matth.

V I D E V. *Ambitio. Amor sui. Immortificatio passionum. Præsumptio. Superbia. Vestium luxus. Vindicatio iniuriæ.*

G V L A.

Remedia contra gulam.

I **R E M E D.** Considera Sacræ scripturæ dicta. Primo enim hortatur vt eam fugiamus, vt in Salomonis Prouerbiis. *Noli esse in conuiuio* Prou. 23. 20. *potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt. Et apud Ecclesiasticū. Vere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur, ne cū manducas multum, odio habearis. Et apud Apostolum. Sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicijs, &c. Sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis. 2. docet ea prouocatam diuinam iram, vt ab Adam & Eua ob fructum arboris vite degustatum. Huic enim dictum est. Multiplicabo arumnas tuas. in dolore partes filios, Illi verò. Maledicta terra in opere tuo. In sudore vultus tui vesceris pane.* Eccl. 31. 19.
Rom. 13. 13.
Gen. 3. 16. & 17.

O 3 Deinde

- Luc. 17. 27. Deinde ab eorum filiis tempore Noë. In diebus Noë, inquit Lucas, edebant & bibebant usque ad diem, qua intravit Noë in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes. Item à filiis Iſrahel fastidientibus manna. Adhuc carnes, ait in Numeris, erant in dentibus eorum, & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis. Et in Deuteronomio. Filius vester si comestationibus vacat & luxuria, atque conuiuio, lapidibus obruet eum populus. Et apud Iſaiam. Comedamus & bibamus, aiunt gulosi, cras enim moriemur. Et reuelata est in auribus meis vox Domini. Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus exercituum. 3. excludit gulosos beatitudine æterna. nam in epist. ad Galatas comestationes & ebrietates numerantur inter manifesta opera carnis regno cœlorum excludentia. Et Christus apud Lucam ait. *Vae vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Vae vobis, qui saturati estis, quia esurietis.* Et diues epulatus quotidie splendide, sepultus est in inferno. Apostolus quoque affirmat comestatores non seruire Deo sed ventri. *Huiusmodi, inquit, Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri.* Et. *Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* 4. tradit hoc vitio etiam iacturam fieri in bonis externis. Esau enim nimia ardens cupiditate edulii lenticulæ primogenita fratri vèdidit, vt est in Genesi. Et Sapiens ait. *Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum & pingua, non ditabitur.*
- II. REMED. Considera censuram SS. Patrum in gulam. S. BASILIUS in sermone de abdicatione rerum. *Cave ne te aduersarius simili atq; primi parentem peccato circumueniat, & quamprimum de paradiso deliciarum expellat. Nam qui callida esca obiectione ita malitiose vita illum spoliavit, & item IESVM eodem modo supplantaturum sperauerat, nihil est, quod is vereatur. etenim presentissimum hoc esse venenum ille intelligit, &c.* Vt enim fons aquæ si in plures sit riuulos dissectus, vicina omnia loca herbarum viriditate cõuestit, sic vitium gula, si per cordis tui venas se distaxerit, inde que sensus tuos omnes irrizarit, & libidinum multarum syluam in te conserit, animum tuum ferarum habitaculum efficiet. S. AMBROSIVS de Cain & Abel. *Plurimos gula sua occidit, nullum frugalitas. innumeris vins nocuerunt, nulli parsimonia. Plerique inter epulas fudere animas, & mensas proprio replere sanguine. Aliis crudelitas vocem simul rapuit & sensum, & si aliquibus cruditas noxia non fuit, his riuam fecit ebrietas. Postrema auli, quos Christus excludat. Cum intraverit, inquit, pater familias, & clausit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium dicentes. Aperi nobis, & respondens dicit; Nescio vos vnde estis, recedite à me operari iniquitatis. Tunc incipietis dicere. Manu: asinus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis. Nescio vnde estis. Audistis quid de manducantibus dixerit? S. HIERONYMUS in Iouinianum. *Esus carnium, & potus vini, ventrisq; sacritas seminarium libidinis est.* Et paulo post. *Quod si quis existimat & abundantia ciborum portionumq; se perfrui, & vacare posse sapientia, hoc est, & versari in delictis, & deliciarum vitio non teneri, seipsum decipit.* S. CHRYS. in Ioannem*

Nihil

Nihil gula perniciōsus, nihil ignominiosus est: hæc obtusum & crassum ingenium, hæc
 carnalem animam reddit: hæc cæcat intellectum, non sinit, ut quicquid perspiciat. I. O. A. Cass. lib. 5. c. 47.
 CASS. in institutionibus monasticis. Non sola crapula vini mentem inebriare
 conjucit, verum etiam cunctarum escarum nimietas vacillantem eam ac non abundam red-
 dit, omni quæ integritatis ac puritatis contemplatione despoliat. S. GREG. in moralib. Greg. 13. c. 38.
 De veteris ingluvie inepta latitia, scurrilitas, immundicia, multiloquium, ebberudo sen-
 sus circa intelligentiam propagatur. B. ISID. de summo bono. Sicut omnes carnales cu-
 piditates per abstinentiam refecantur, ita omnes animæ virtutes edacitatis vitio destruntur. Isid. 1. 2. c. 42.

III. REMED. Considera hunc gulæ morbum ante omnes alios tibi
 esse curandum. Nam S. BASILIUS dum instituit Virgines, & alios ad vir-
 tutis perfectionem tendentes. Ante omnia, inquit, adversus gustum virgo tota
 intentione pugnet, fontes quæ voluptatum ventris, & impudicitie fomitem inde manan-
 tem à principio castitatis studio & odore siccat, &c. Ventre enim disto epulis, neces-
 se est, ea quæ sub ipso sunt membra ex humoris redundanti ad propria & naturalia of-
 ficia moveri. Et CASSIANVS, Prima nobis calcanda est gula concupiscentia, &
 eo usque extenuanda mens non solum ieiunium, verum etiam vigiliis, lectione quoque
 crebra compunctione cordis, in quibus se forsitan vel illusam, vel fictam reminiscitur,
 &c. donec ipsius cibi reflectionem non tam incunditati concessam, quam oneris vice sibi
 impositam recognoscat. Et infra. Ob quod ciborum non solum superfluous appetitus vir-
 tutum contemplatione calcandus, sed etiam ipsi naturæ necessarius tanquam castitati
 contrarius, non sine cordis anxietate sumendus est. Consentit B. ISIDORVS de
 summo bono. Nemo potest virtutum perfectionem attingere, nisi prius ventris edo-
 muerit ingluviem. Et ante eum B. GREGORIUS in moralibus. Nullus pal-
 mam spiritualis certaminis apprehendit, qui non in semetipso prius per afflictam ven-
 tris concupiscentiam carnis incensua decerit. Et iterum. Dum venter non restri-
 giatur, per carnis concupiscentiam simul cunctæ virtutes obruntur. Cass. lib. 5. in
 614. Greg. 30. mor.
 c. 26.

IV. REMED. Considera modos, quibus gula delinquitur, ut unicui-
 que congruentia adhibeantur antidota. Eos accuratè exposuit eodem
 loco B. GREG. Quing. nos modis gule vitium tentat. Aliquando namque indigentia
 tempora præuenit, aliquando verò tempus non præuenit, sed cibos lautiores querit, ali-
 quando qualibet sumenda sunt præparari accuratius expetit. aliquando autem & qua-
 litati ciborum & temporibus congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ
 reflectionis excedit. nonnunquam verò & abiectius est quod desiderat, & tamen ipso æstu
 immensi desiderij deterius peccat. Mortis quippe sententiã patris ore Ionathas meruit,
 quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit. Et ex Ægypto populus edu-
 ctus in eremo occubuit, quia despecto manna cibos carniū petiit, quos lautiores putavit. 1. Reg. 14. 44.
 Num. 11. 33.
 Et primæ filiorum Heli culpa suborta est, quod ex eorum voto sacerdotis puer non anti-
 quo more coltas vellet de sacrificio carnes accipere, sed crudas querere, quas accuratius
 esliberet. Et cum ad Hierusalẽ dicitur. Hæc fuit iniquitas Sodome fororis tuæ, super-
 bia satuitas panis & abundantia. aperiẽ offendit, quæ idcirco salutem perdidit, quia in-
 superbia

superbia vitio mensuram moderatam refectiois excessit. Et primogenitorum gloriam Esau amisit, quia magno actu desiderij vilem cibum, scilicet lenticulam concupivit: quam diem vendendis etiam primogenitis proutulit, quo in illam appetitu anhelaret, indicavit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. CASSIANVS tres tantum modos ex dictis assignat, primum, secundum & quartum.

I. Antidotum contra primum modum.

PRIMO modo medeberis, si obserues certum tempus comedendi, vt prandii & coenae. Vnde CASSIANVS. Monachus hanc in primis cautionem sibi indicat, vt non potius quicquam, non esus vlla oblectatione deuictus, ante stationem legitimam, communemque refectiois horam extra mensam percipere sibi met prorsus indulgeat, &c. Similiter quoque canonicum somni tempus, mensuramque custodiat. Et alibi. Ante horam canonicam, inquit, ab solutio ieiunij nullatenus praesumenda est, &c. hinc enim monasterij odium gignitur, atq; exinde horror, & intolerantia eiusdem concrefcit habitaculi: quam sine dubio mox discessio, aut fuga velocissima subsequetur. Quod si aliquando difficile tibi sit vsque ad statam horam sustinere, imitare exemplum eius, qui in vitis Patrum cum autore daemone fame vrgeretur hora prima diei, imperauit sibi, vt expectaret vsque ad tertiam: & cum tertia esset, vsque ad sextam: & cum sexta, porro vsque ad nonam, quae erat stata prandii. Qua exercitatione secundo, tertioque repetita, sic daemone, famemque vicit, vt nec post biduum esuriret. Ad hoc antidotum pertinet illud Ecclesiastae. *Ne tibi terra cuius Principes mane comedunt. Beata terra, cuius Principes vescuntur tempore suo, id est, stato, ait Gregorius Thaumaturgus in huius loci commentario.*

II. Antidotum contra modum 2. & 3.

SECUNDO, contra lautitiem, & laboriosum apparatus eduliorum Sana viliores & communes atque parables cibos. Sic enim monet B. BASILIVS. Omnibus in locis, inquit, cibus qui sit ad victum necessarius solerti ratione inquirendus, condimentorumq; elaborata blandicia vt voluptatis illecebra repudianda. HIERONYMVS. contra Iouinianum. Ne tales accipiamus cibos, quos autem difficile digerere, aut comesos magno partos & perditos labore doleamus. Holerum, pomorum ac leguminum, & facilior apparatus est, & arte impenditq; cocorum non indiget, & sine cura sustentat humanum corpus, moderateq; sumptus leuiter digestionem coequitur. Et infra, Epicurus voluptatis assertor omnes suos libros repleuit holeribus & pomis

et pomis, et vilibus cibus dicit esse viuendum, quia carnes et exquisita epula in gen-
 cura ac miseria praeferantur. **CASSIANVS** in institution. monasticis. Est ci-
 bus eligendus non tantum qui concupiscentia flagrantis astus temperet, minusque
 succendat, rerum etiam qui ad parandum sit facilis, et quem ad comedendum opportu-
 norem vilioris pretij compendium praestet, qui que sit conuersationi fratrum esuique
 communis? Et paulo post. *Quicquid autem extra consuetudinem praesumitur v-*
sumque commune, ut vanitatis et gloria, atque ostentationis morbo pollutum an-
tiquissima Patrum traditio norauit. **NEQUE** ideo, siue secularis, siue religio-
 sus sis, arceris ab omnibus lautioribus mensis, quando vel necessitas, vel
 honestas, vel obedientia maioribus debita exigit. Constat enim Christum
 Dominum & nuptiis, in quibus lautiores cibi apponi solent, aliisque conui-
 uis diuitem interfuisse. Et caritas saepe persuadet, ut de consueta seueri-
 tate aliquid remittamus, ad recreandos hospites, quorum conuersatio
 nobis proficua est, vel quibus consuetudine nostra commodare possu-
 mus. Id modo dico, dum hi respectus absunt, nos quantum in nobis est
 subterfugere debere istas lautitias.

III. Antidotum contra modum 4.

QUARTVS Gulae morbus iuxta S. Gregorium erat, quando in quan-
 titate sumendi mensura moderatae refectionis exceditur: cui mede-
 bere, si tantum cibi sumas, quantum ad vires corporis pro ratione status,
 & officii, quod exeres, corroborandas satis fuerit. Certa enim mensura,
 quae omnibus sit communis, praefigi non potest. Quod enim vni parum
 est, alteri satis est: & ubi hic peccat vitio gulae, ibi ille nimia se macerat ab-
 stinentia. Ita tradit B. **BASIL.** *Quoniam, inquit, innatum nobis corporis ve-* **Bal de Virgin.**
biculum, neque nimis laxando frena, neque rursus immodice illa retinendo ad virtutis
cursum producere oportet, idcirco et corporum status, et habitus, et ciborum qualita-
tes solet explorare conueniet, ut valido quidem ac vegeto corpori frena immittamus,
et per inediae frigidioreque cibos redundantiame caloris arceamus: porro senili et fri- **Cass. coll. 2. c. 22.**
gescenti cibi potusque adumentum ad sustentandas vires ingeramus. Idem habet **Cas-**
SIANVS. Ut vero cognoscas, quantum cibi cuique sufficere ad vires corporis
 tuendas debeat, **S. DOROTHEVS,** & alii sancti praescribunt: Ut quisque ex- **Dorot. serm. 9.**
 perientia magistra discat & obseruet, quanta cibi copia soleat stomachum
 grauare, ac deinde paulatim de illa copia detrahat, donec nullam am-
 plius in digestionem sentiat difficultatem. Contra quoque notet, quanta cibi
 tenuitas & parsimonia imbecilliore reddat, ut officio quod sustinet
 aegre facere satis possit. Quo animaduerso paulatim eo usque comestum
 augeat, donec integrae suppetant vires ad omnes functiones consuetae
 P explen-

Ephes. 5. 29.

explendas. Quam ergo quantitatem cibi sufficere tibi reipsa cognoris, eam ordinariè vsurpa. Quod si dubius & anceps hæreas, quanta cib copia tibi sit necessaria, potius naturali inclinationi repugna, quam faue, eo quod, vt vulgo fertur, appetitus sit nequam, & colore necessitatis facilè in fraudem inducamur. *nemo enim carnem suam, inquit Apostolus, vnquam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam.*

IV. Antidotum contra modum 5.

Basil.

Aug. c. 12.

Eccli. 37. 31.

Rom. 13. 14.

Gen. 25. 33.

Greg. 30. mor. 27.

Gen. 3.

Matth. 4. 3.

Greg. c. 28.]

Aug. c. 31.

QVINTVS gulæ morbus erat nimio desiderii æstu ferri in viliores cibos, instar Esau in edulium lenticulæ. quem morbum & alii Patres notarunt vt S. BASILIUS in sermone de abdicatione, dum ait, *Gula vitium non in escarum copia natura sua vim exerece nouit, sed in voluptate, atque gustatu licet modicis admodum vtare.* Et B. AVGVSTINVS libro 3. de doctrina Christiana. *Fieri potest, vt sapiens pretiosissimo vtatur cibo sine vitio cupiditatis: insipiens autem facillima gula flamma in vilissimum ardeat.* Antidotum autem huius morbi generale est, nempe, vt nimiam cupiditatem coerceas: quæ æquè in pretioso, ac vili potest esse edulio. Vnde Sapiens. *Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam.* & Apostolus. *Carnis curam ne feceritis in desideris.* Et loco citato AVG. *Sanius quisq; maluerit more Domini pisce vesci, quam lenticula more Esau nepotis Abraham, aut hordeo more iumentorum.* Non enim propterea continentiores nobis sunt pleræq; bestie, quia vilioribus aluntur escis. Nam in omnibus huiusmodi rebus, non ex earum rerum natura, quibus vtimur, sed ex causa vtendi, & modo appetendi, vel probandi est, vel improbandum, quod facimus. Et GREG. *Neq; cibus, sed appetitus in vitio est.* Vnde & lautiores cibos plerumq; sine culpa sumimus, & abiectiores non sine reatu conscientie degustamus. Esau quippe primatum per lenticulam perdidit, & Elias in eremo virtutem Spiritus carnes edendo seruauit. Vnde & antiquus hostis, quia non cibum, sed cibi concupiscentiam esse causam damnationis intelligit, & primum sibi hominem, non carne sed poma subdidit, & secundum non carne, sed pane tentauit. Hinc est quod plerumque culpa committitur, etiam cum abiecta & vilia sumuntur.

V. R. E. M. Quoniam necessitati cibi sumendi coniuncta est semper voluptas, vide vt ne occasione necessitatis finas te rapi ultra metas necessitatis. Sic. n. voluptas. ait B. GREG. loco allegato. *sub necessitate se palliat, vt vix eam perfectus quisq; discernat.* Sæpe autè in edendi via furtiue adiuncta voluptas subsequitur: nonnunquã verò impudenter libera etiã præire conatur. Facile verò est deprehendere, cum voluptas eius necessitatè præuenit: sed valde difficile est discernere, cum in ipso esu necessario se occulta subiungit. Nam quia præueniè natura appetitum sequitur, quasi à tergo veniens, tardius videtur. Et B. AVG. lib. 10. Confessionu.

In bib

In his tentationibus constitutus tertio quotidie aduersus concupiscentiam manducandi
 & bibendi. Quis n. est Domine, qui non rapiatur aliquantum extra metas necessita-
 tis? quis quis est, magnus est, magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia homo
 peccator sum. Et iterum. Hoc me docuisti, vt quemadmodum medicamenta, sic alimen-
 ta sumpturus accedam. Et infra. Quia quod saluti satis est, delectationi parū est. Sæ-
 pe incertum sit, vtrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptaria cu-
 piditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertū hilarescit infelix anima, & in
 eo preparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit moderatione
 valetudinis, vt obrentu salutis obumbret negotiū voluptatis. Et rursus. His tētatio-
 nibus quotidie conor resistere, & inuoco dextrā tuam, ad salutem meam, & ad te refero
 astus meos, quia consilium mihi de hac re nondū stat. *Audiui vocē tuam. Post concupi-*
scencias tuas ne eas, & à voluptate tua auertere. Omnia possū, inquit Apostolus, in eo
qui me cōfortat, Da q. iubes, & iube q. vis. Hæc ille. Hæc autē non eo dicta sūt
 à Gregorio & Augustino, vt velint nullā debere esse in cibo oblectatio-
 nē, sed id tantū contendunt, non esse oblectationē illam quærendā tan-
 quā scopum & finem, ac ideo amplectendā tantum, quatenus seruit ne-
 cessitati. Quamquā seruus Dei hoc longius à gulæ vitio discedet, quo sin-
 cerius solā necessitate in cibo spectarit, & quæsierit. Spectabit autē, quā-
 do veras voluptates in diuinarū rerum contemplatione fuerit aucupa-
 tus. Nequaquā enim, inquit **CASSIANVS**, poterimus escarum presentium spernere
 voluptates, nisi mens contemplationi diuina defixa, amore virtutum potius, & pulcri-
 tudine celestium delectetur. Deinde, si antequam cibum sumat, statuat se tan-
 tum rationem vtilitatis tanquam magistrā & ducem in cibo sumendo
 secuturum, vt habet. **BASILIVS** in regulis breuioribus. *Basil. q. 126.*

VI. REMED. In omnibus cibis vita semper satietatem, siue pretiosi
 sint, siue viles. Nam apud Ezechielem Hierosolyma ob saturitatē panis *Ezech. 16. 49.*
 Sodomę comparatur. & **B. HIER.** in Iouinianū ita scribit. *Sed & ex viliissi-*
ma cibis vitanda satietas est. Nihil enim ita obruit animum, vt plenus venter, & ex-
astuans, & huc illucq. se vertens, & in ruitus, vel in crepitus ventorū efflacione respi-
rans. Et **CASS.** Generalis hic continentia modus est, vt secundū capacitātē viriū, vel *Cass. coll. 2. c. 23.*
 corporis, vel ætatis tantū sibi meti cibi vnusquisq. concedat, quantū sustentatio carnis,
 non quantū desiderii saturitatis exposcit. *Palladius* in historia Lausiaca scribit; *Pallad. c. 2.*

ISIDORVM Sacerdotē, etiam si quotidie tantū cibi sumeret, quantū satis
 esset ad tuendā corporis incolumitatē, tamē magnā temperantiæ laudē
 apud oēs meruisse, q. nunquā satur ē mensa surrexisset. **CASS.** quoq. non *Cass. l. 5. inf.*
 obscure laudat quendam eremi cultorē è Senioribus partiū Syriæ, qui *c. 25.*
 confessus sit se, licet sexies diuersis aduenientibus fratribus mensam po-
 suisset, & cū omnib. cibū sūpsisset, nondū esse saturū, sed adhuc esurire.
QVOD si cui difficile videatur ad tantā frugalitatis pfectionē aspirare, ob
 contrariā multorum annorū consuetudinē, quib. cōsuērit largiori cibo

potuq; se reficere, is norit se inuocato diuino auxilio posse prauã consuetudinem paulatim melioris beneficio expugnare. Exemplum habet **B. AVGVSTINI**, qui post conuersionem suam, ut est in Confessionum libris, quotidianum in hoc genere contra carnem bellum suscepit. *In his tentationibus, inquit, positus certo quotidie aduersus concupiscentiam manducandi & bibendi. Non est enim, quod semel praecidere, & ulterius non attingere decernam, sicut de concubitu potui. Itaque freni gutturis temperata relaxatione & constrictione tenendi sunt.* Et **POSSIDIVS**, in eius vita scribit eum mensa usum frugali & parca, quæ inter olera & legumina, aliquando carnes propter hospites & infirmiores quosque contineret. Deinde in ipsa mensa, magis lectionem vel disputationem, quàm epulationem potationemque dilexisse. Adhæc secum commorantibus & conuiuantibus numerum poculorum præfixisse. Denique exemplo Ambrosii in sua patria petitum ad conuiuia non iuisse, ne temperantiæ amitteretur modus. **ALTERVM** exemplum est **B. DOROTHEI**, qui cum Dositheum quendam viri primarii filium inter delicias sæculi educatum instituendum suscepisset, initium fecit ab expugnatione gulæ, ac principio copiã illi fecit comedendi quantum vellet. tum de consuetæ portionis partibus duodecim vnã ademit, & post aliquot dies rogauit, num famem sentiret, cumque respondisset exiguam se sentire, iussit eum continuare, donec nullam amplius sentiret. Dein cepit ex duodecim statæ portionis partibus subtrahere binas, eoque plures, donec ad moderationem legibus temperantiæ conuenientem peruentum est.

VII. REMED. Considera sedulo frugalitatem omnium sanctorum ab orbe condito, de quibus multa **S. HIERON.** in epist. ad Eustochium, de custodia Virginit. libro secundo in Iouinianum, Basilium, aliiq; Patres. Primum Adam & Eua, eorumq; posterum ad duo annorum millia victarunt arborum fructibus, & terræ oleribus. Populus Israheliticus totos 40. annos manna & aqua vixit; morte punitus simulatq; carnes concupiuit. Vnde & sepulcra eorum dicta sunt *sepulcra concupiscentiæ*. Eliæ Prophetæ sub quercu lassõ per Angelum mittitur prandium, collyrida panis & vas aquæ. Elisæus filios Prophetarum inuitat ad prandium herbarum agrestium. Danieli in lacum leonum mittitur *messorum prandium*, ut arbitror, inquit Hieronymus, *rusticanum*. Ananias, Misael Azarias in Babylone captiui contempta regis mensa leguminibus vescuntur, aquamq; bibunt & pulciores fiunt. Christus turbam quinq; millium pane paut, quem nos ob vilitatem parui ducimus. Matthæus Apostolus, teste Clemente Alexandrino, solis holeribus cum pane vitam tolerauit. Iacobus frater Domini vino & carne, teste Egesippo, abstinuit. Marci Euangelistæ discipuli pane, sale, hysopo, & aqua contenti fuerunt, & Eusebius & Hieronymus probant ex Phi-

Hier. ep. 22.
Euf. hom. de ieiun.

Num. 11. 34.

3. Reg. 19. 6.

4. Reg. 4. 39.

Dan. 14. 35.

Dan. 1. 12.

Ioan. 6. 11.

Clem. 1. 2. pzdadaq. c. 2.

Euf. 1. 2. hist. c. 22.

Hier. de viris. 11.

ex Philone. Quam frugalitatem secuta cum S. Antonio, & S. Hilarione, per aliquot secula multæ eremitarum myriades. Paulus primus eremita dactilis initio, post dimidiato pane per coruū quotidie diuinitus misso, semel autem integro cum hospite S. Antonio vixit, vt habet in eius vita Hieronymus, qui & asserit in epist. ad Eustochium, pro luxuria reputa- Hier. ep. 22.
tum, si monachus costum aliquid comederet. **CASSIANVS** ex senten- Cass. l. 2. coll. c.
tia Abbatis Moysis dicit refectionem ordinariam monachorum à se- 19.
nioribus statutum duo paximatia, id est, duos paruulos panes, quos, in-
quit, *vix libra vnus pondus habere certissimum est.* Denique quanta in parsi-
monia multi alii extra eremum, & cœnobia vixerint, ostendunt vitæ
sanctorum.

VIDE V. *Amor sui. Chorea. Ebrietas. Luxuria, Voluptas carnis.*



H

HÆRESIS.

Remedia contra hæresin.

PRIMUM Remedium. Considera, quid de crimine hære-
seos, hereticisq; diuina oracula pronuncient. Hæresin sane
inter manifesta lethalia crimina, quæ nos regno cœlorum
arceant, annumerant. *Manifesta*, inquit Apostolus, *sunt opera* Gal. 5.
carnis, quæ sunt fornicatio, &c. rixa, dissensiones, hæreses, inuidia, &c. & his similia,
quæ prædico vobis, sicut & prædixi, quoniã, qui hæc agunt, regnũ Dei nõ possidebunt.
Vnde B. Petrus, hæreses vocat, *sectas perditionis*, quia hæretici sua doctrina 2. Pet. 2.
se aliosq; in æternũ perdunt. 2. Christus Saluator vocat hæreticos *falsos* Math. 7.
Prophetas, *lupos rapaces, pseudochristos, fures & latrones.* B. Paulus verò *pseudoapo-* Math. 24.
stolos, operarios subdolos, homines seipso amantes, cupidos, elatos, blasphemos, sceleratos, Ioan. 10.
sine affectione, proditores, proteruos, voluptatum amatores magis quã Dei, proprio in- 2. Cor. 11.
di. nõ condẽnatos. S. Petrus, *pseudopphetas, magistros mendaces, seruos corruptionis,* 1. Pet. 2.
indoctos & instabiles. S. Iohannes, *Antichristos & seductores.* B. Iudas, *nubes sine* 1. Ioan. 2.
aq̃ua, arbores autemnales, infructuosas, bis mortuas, fluctus feni maris, dissipantes 2. Ioan.
suas confusiones, sydera errantia, quibus procella tenebrarum seruata est in æternum.
oracula diuina tradunt fidem, quæ contraria est hæresi, necessaria esse
P 3. ad salu-